NAVLOGIA
SIVE
INVENTA NAVIS

AVTHORE

ROBERTO FARLÆO.

G. 530

~~837. h 19~~
~~2~~

K. Farley (R.)

Londini Typis *Tho. Cotes.*

GENEROSISSIMO
ET
Omnigena virtute ornatissimo Domino
Dnõ. ROBERTO AITONO
Equiti aurato
Serenissimis Britanniæ Reginis, Annæ quondam, nunc Mariæ, a secretioribus.

MIraris forsitan (Generosissime et Ornatissime Dnẽ.) quod juvenilis musæ nostræ ardor, seu mavis, imperita rerum temeritas, immaturo huic embryoni, Te deum Enixium et Tutanum ambiat; qui non solum sæculi tui decus, et poetarum οἷοι νῦν εἰσί facile princeps, sed

παλαιγενέων meritus κλέα φώτων Classicorum non numerosum illud album sacro tuo nomine augere merearis. Tantum autem abest, ut prælustris dignitatis tuæ splendor oculorum et cæcutientis animi mei aciem præstringat; Vt si comitatis tuæ (quâ In tuos clares) pretiosissimum magis quam byssinum velum prætexeris, velut Solis jubar, me tenebris hactenus delitescentem, & jam lucis avidum, blandius ad se attrahat et invitet: præsertim quum vitali et cælesti tuo calore luteum musæ nostræ ingenium victurum & spiraturum sperem. Si quid est quod transverso iratoq; stylo non dignum sit; eximia tua in omni literaturâ virtus et excellentia, quæ ne sciolum unquam presserat, Te Mecænatem et qualem voveo patronum spondet; Sin quod averser carbone plurima notanda sint, facilem (quâ es in omnes gratiâ) veniam a benignitate tuâ expeto. Fave & Musæ nostræ conatibus (quæ si placere non potuit, voluit quidem) bonus & propitius arride. Sic rustica hæc nostra musa, posterorum sæculis, Te Deum sibi hæc feciſſe referet, tibique Phæbo suo, pio votorum & honoris thure super altaribus litabit. *Vale.*

Grande

GRande Caledonij decus orbis & inclyta fama
Vatum, Laurigeri gloria prima chori.
Frugiferis gleboſa dedit quem Fifia campis,
Fifia magnanimûm fortis alumna virûm.
Hæc mirata tuas bullas; puerilis ut ætas
Sponderet clari nomina magna ſenis:
Sive Platonis apes, ſeu Midæ examina vidit
Neſcio; ſed quod tum cæperat omen habet.
Mantua Virgilium jactat, Verona Catullum,
Aitonum oſtentat Fifia noſtra ſuum.
Aſſurgit cui docta cohors, cui libat honores,
Dum colit vt Clarium turba novena Deum.
Talia dulciſono moderaris carmina plectro,
Fundis & ad citharæ murmura blanda melos.
Seu canis Heroas, ſeu caſtæ virginis ignes,
Seu libet ad patrios concinuiſſe modos.
Humano ſi quando loqui vult Jupiter ore,
Vti Cecropii creditur ore ſenis.
Muſa tuâ ſed voce melos ſibi temperat; ipſo
Sic prope jam poſſit cum Mithridate loqui.
Hoc multum, non omne tamen, meruiſſe poetæ
Nomen, nam & ſcabiem diva poeſis habet.
Scilicet ad numeros naſcuntur maxima vatum
Ingenia, & numeros non tenuere ſuos.
Æſchylus (ut fertur grandis cenſura Sophoclis)

Athen. lib. 1. καὶ ὡς μὲν ὐκ ἐιδὼς γε.

Scribere quod poterat, nõn bene nõrat opus.
Pocula vinoso sic exprobrantur Homero,
Et damnat vates pagina sæpe pios.
Pagina te castum probat integra vita poetam,
Hippolyti est musæ fibula casta tuæ.
Quin tua musa colit Sophies arcana severæ,
Ludit, ubi salibus blanditiisque vacat.
Curia si quando patrem non tota salutat,
Si quando Domini Cæsaris aula tacet.
Aut ubi jura silent, nec pro te grande tribunal
Sudat, et ad vultus statue caditue tuos.
Sic quondam Æacides, positis ferventibus armis,
Dicitur ad mollem concinuisse lyram.
Sic quondam consul, positâ cum fasce securi,
Dicitur et scenæ composuisse modos.
Ecce ad te navis post tot tantosque labores,
Et prope jam Pelago naufraga musa fugit.
Nauseat, ah, parce offendat si forsitan aures,
A Phœbo medicam languida poscit opem.
Phœbe fave: lautâ faciet tibi musa hecatombe,
Et tibi, quum poterit, mascula thura dabit.
Sic tibi perpetuos Daphne producat honores,
Æternetque tuum læta juventa decus.

Dignitatis tuæ observantissimus

Robertus Farlæus.

LECTORI.

QVum de rudi hoc partu (Candidiſsime lector) in lucem edendo cogitarem, inſolens & inſuetus non tam ad puerperij labores exhorrui, quam Antevertam Deam de fœtu, ut in lucem ſcitus prodiret, ſollicitavi: præſertim cum ſuum cuique pulchrum eſſe; & plurimos, qui μιμεῖσθαι cupiunt, ut facilius μωμεῖσθαι poſsint, aliorum bonis auſpiciis obſtrepere, & virulentis linguarum odiis, diriſque lancinare ſolitos intelligam. Verum Candor (amice Lector) tuus, & ſerenitatis ſpes, navem noſtram, quam ſubducere omnino meditabar, in altum deduxit, favor tuus, quod ſpero, ulterius ad portum provehet. Tu ſi forte maturanti navi remora adhæſerit, excute; ſique, vel Magiſtri incuria vel caſus ſcopulo illiſam concuſſerit, ſtuppâ & bitumine reſarci. Sic tua Sirenum ſcopulos effugerit alnus. Vale.

NAVLOGIA.

PRimus in æquorei quis glauca palatia Regis
Miſerit amphibios homines, ſylvaſq; natantes,
Aligeras alnus, pelagi tumidoſque labores,
Dicite dî maris undivagi, vitreæque ſorores:
Iudicium mortale ſilet. Te decolor Inde
Lintre cavo primum rutilantis ſtagna metalli
Exploraſſe ais, & Titan quas punicat undas:
Prodigioſa parens Cæli ſtudioſa mariſque
Fictilibus fertur teſtis ſtuitaſſe Canopus
Prima, papyriferi ſeptena per oſtia Nili
Et crocodiligenum Conchâ domuiſſe fluentum:
Græcia dein tantos Argo molitur honores
Tentati maris; horriſonæ quam filia nubis
Non domuit, creperique poli non ſaxea grando
Terruit, aut ponti vada, & irremeabilis error,
Quin cæcum audaci laceraret remige vaſtum
Hoſpes, & intraret genitalem Cypridis aulam.
Graiorum ſed græca fides, & vana Canopus,
India cæca ſuas male jactat garrula laudes.
Artificis majoris opus cæleſte canemus.
Numinis ingenium fabri, cælique laborem

Inter Indos Ægyptios & Græcos certatur de primâ navis inventione.

Invocatio.

Archi refer tecti cœleſtis origo favillæ
Muſa, mihi Aonij diſtillans nectaris undas
Ambroſio ſatura Genium guſtamine lauri,
Dumque ſequor primæ navis veſtigia in altum
Dirigito, & ſpirato auris rate Iova ſecundis
Solventi, optatumque viæ da tangere portum.

Diluvium. Luſtrali inceſtum obruerat ſale Nereus orbem
Auctior omni alveo cœli auxiliaribus undis,
Influvios ardenſque Dei liquefecerat ira
Æratos Cæli vultus, & nubila mundi:
Squamigeri primum tenuerunt oppida cives
Tunc, & vocales ſtupuerunt æquora gentes.
Nam deus adſervans redivivæ ſemina terræ,
Naturæque animantis opus, compage reductâ
Arca Noha Et cæcis uteri tenebris contextilis arcæ
Incluſit mortale genus, quam numinis arte
Noha dolans Lemechi proles in mænibus auras
A bibulis munivit aquis, ſylvâque miniſtrâ
In liquidos cælum ac Terram deducere campos
Suſtinuit, potuitque animantum ſolvere claſſem.
Tum ſtupuere rudes nautæ cedentia retro
Littora, & aerias ſenſim ſubſidere turres;
Fragminaque undarum tranſtra arietantia rectis
Auribus hauſerunt, peregrino in littore monſtra
Mirati, Salioſque lares, gentemque profundi.
Arca inter medias cæliqueſalique ruinas
Fertur nunc ſcandens nubes, nunc Tartara pulſans,
Et fruſtra tentatur aquis pice perlita moles.
Vtque levis ſuperat ſurgentia tubera fluctus
Mergus apex undæ, mox deſinuantis in imum
Se condit gremium, multumque laborat in uno
Tramite, dum fervet motu, nec promovet iſter

Mæandros

Mæandros & teſqua freti & perplexa viarum:
Sic cadit, inſurgitque iratis arca procellis,
Oppeditque feris vis deſultoria ventis.
Iamque quater denas mutârant nubila lucis — *Serenitas post diluvium.*
Illuni cum nocte vices, ſplendeſcere cælum
Cæpit, pulchricomis auri argentique nitellis,
Pictaque nimborum minuens Thaumantias iras
Torrentes demulſit aquas aſpergine roris:
Paulatim aſcendunt juga decreſcentibus undis,
Diſtinguntq; æquor maculoſa cacumina rupis
Caucaſeæ; Teneriffa jubar tunc prodidit orbi
Exoriens, tacuit tranquillo vertice, nubes
Supra celſus athos; montanæ & filia ſylvæ
Nondum oblita ſuæ ſedis caput occupat alti
Arrarati; poſuitque ſuos hic lenta labores,
Stans clarum Nerei poſt caſtra fugata trophæum.
Tandem devicto Pythone, & prole renatâ
Saxorum, anguſtas tenuit gens maxima terras. — *Prima novis occaſio.*
Quid facerent? Pontus jam diſſociaverat orbem,
Continuis dederatque ſalum divortia terris;
Nulla poteſt aliò peregrina colonia duci.
Ergo poſteritas fabricæ modo gnara prioris
Ligna cavant, texuntque rates, fundantque carinam,
Cui ſuperextructo ſinuoſæ ſtamine pinus,
Ædificant habiles ad curſum & pondera moles.
Inque ſolens vitreo dum gurgitis advena ponto
Ignotas miratur aquas, ut remige pinnâ
Cærula ſquamigeræ verſarent æquora gentes, — *Copæ primiremorum inventores.*
More ſuo ignotas ſtupor extimulavit ad artes
Et dociles navi juſſit dare brachia Copas;
Tranſtra ſtruunt, ſcalmoſque & longo ex aſſere tonſas.
Mox ratis audito per tranſtra celeuſmate, tollit

Cirramenta pedum, chelaſque ex ordine verſat.
Ad numerum, tractuſque & latæ verbera palmæ
Nunc inhibet, nunc inſurgit conamine remex.
Hoſpitis adventum mirantur grandia cete,
Et celeres greſſus, verrenteſque æquora pinnas;
Remigeræ gaudentque rati contendere curſu
Roſmarus ære bidens & diri Xiphius oris:
Mox totum obſtupuit pelagus, genus æthere natum
Tantum audere ſalo, nemorumque e montibus ornos
Pinnatas jam poſſe pedum certamine piſces
Vincere, & æquoreos Nerei prævertere currus.
Nereidum ad pulſus remorum turba choreas
Ducit, & exultat tremulis gens ſquamea caudis;
At medijs Neptunus aquis incanduit irâ
Naufragij Lex dura. Mortales ſub ſorte Iovis tentare profundum
Audaces, populaturos præſenſerat æquor
Pinnigeris gregibus, mox urinare paratos,
Et nitidis ſpoliare maris penetralia conchis,
Cogereque invitos brevia in compendia fluctus
Molibus aggeſtis & textæ vimine cratis.
Ergo jubet ſcopuliſque vadiſque & ſyrtibus atris
Naufragij nautas perſolvere triſte tributum
Arma viros, tabulaſque. Genus mortale ſed audet
Fas & jura vetant fixo quod fœdere, proles
Ingenioſa modi ſcriptas tranſcendere metas.
Iapetonides ex quo ſuperavit olympum,
Phæbigenæque auſus ſtellato avellere Templo
Semina ſcintillæ, vetitamque ex æthere flammam
Mortali temerare luto vis ignea cœli
Nos homines non ſtare ſinit, per devia raptat,
In non tangendos cogitque excurrere campos.
Naturæ ceu prima rudis cunabula ſordent

Tenuia,

Tenuia, ſic primæ molimina cernimus artis;
Quæ pertæſa ſui, minor & ſe, creſcere gaudet.
Lentatis poterat remis benè figere greſſus
Ire, redire vias, & cancri fingere curſus
Certo innixa pedum numero; ſe Protea ventis
Fingere non docta, & lunare ad flamina motus,
Effugere aut facili liquidos curvamine montes;
Hoc opus, hic labor eſt. Ecce improviſa volucris
Se obverſat facies pennas librantis in aurâ
Milvi, mox caudam obliquat, nec cernere eundem eſt,
Sic agiles ſubito circumgyraverat artus.
Inde gubernacli Tiphys verſatile robur
Adſtruit, & clavi caſus moderamen ad omnes.
O magnis hominum ſoboles exercita rebus,
Docta orbem Terræ fixo divellere centro,
Si datur orbe novo ſtabilitam figere plantam.
Tantarum & ſordent primordia tenuia rerum.
Bucentaurorum totas cum pondere moles
Seſquipedale regit lignum, nutuque gubernat
(Morigeros ut ducit equos ut flectit habena
In gyrum, duriſque docet parere lupatis)
Sive opus eſt varias verſus divertere Terras
Seu raptim mutare plagas, eludere vaſti
Gurgitis aut pontum, ſive acroceraunia canis
Oſſibus horrenda, aut medijs Scyllæque Charybdique
Anguſtare vias, limas pede ſtringere & auras
Obliquo, adverſiſque avertere carbaſa ventis.
Durateus nondum ales equus nec cornua velis
Antennæ dederant: fugiens Minoia regna
Icarus hanc primus docuit tentare volatum
Dædalei expandens ſinuoſa volumina mali,
Captivos dedit in velorum lintea fratres

Tiphys gubernaculum primus reperit.

Velorum & Mali inventio.

Aſcræos, utre Æolio quos clauſit Vlyſſes.
Pennificata ratis ſuſpenſis Pegaſus alis
Aerio fervet curſu, gaudetque carina
Criſtatos cerata ſali depexere calles.
Æmula naturæ ars rerum quo limite ſiſtit
Dædala, & ingenioſa novi, quo traduce motus
Ætheris, in truncos animæ ſpiramine tranſit?
Expanſâ ut caudâ & ſuſpenſis remigat alis
Cycnus, & approperat fluvioque aurâque ſecundis
Aerijs plenus flabris atque impete cœli:
Sic navis dans fixa vagis tentoria ventis
Plena noti fertur quà vis rapit enthyſiaſmi.

Anchoræ a Tyrrhenis.

Debuerant arti rerum incunabula priſci
Majores, artique dedere pericula vires
Creſcendi, damnoq; homines ſapuere magiſtro.
Namque trahunt longo tractu dum flumina navem
Impelluntque animis hanc fervidioribus auræ,
In vada Scyllæis circumclamata procellis
Sæpe æſtus ventuſque ferunt, invitaque ſaxis
Illidit, vim paſſa maris, rabiemque Trionum.
Tyrrhenis placuit rapidum ſufflamine curſum
Tardare, & ſtabilire ratem, & firmare recurvo
Pectine ferrati dentis, qui ſcrupea mordens
Teſqua freti, puppis prymneſia tota retentat,
Incolumeſque moras nectit, conſumit & iras
Æolias, navi cunctando reſtituens rem.
Fitque ſalutaris remora, & præforte capiſtrum.
Sylva rati dederat cinctus; & brachia pontus;
Aura alas; operis tantique alienus haberi

Syderum obſervatio.

Noluit omnipatens numeroſo lumine olympus
Divorum ſtellata domus: rectoris habenas
Dirigit, & menſurat iter, faciemque profundi

Aſperat,

Aſperat, aut placidum tranquillo ſydere amicat.
Obſervant Hyadum curſus ac ſigna cadentis
Zodiaci, exortu intempeſtæ ſurgere noctis;
Occiduas jubare hinc Solis ſe condere ſtellas
Imparilis motu ſpiraminis emergentes.
Si quando triſtaret aquas Aquilonifer Hædus, *Navium ſubductio.*
Vellera lanifico gaudens depectere nimbo,
Et malus vrgeret fremibundas Iupiter undas;
Continuo in ſiccum navis divertere littus
Iuſſa, hyemiſque pati nimbos et frigora brumæ
Et Schythicæ buccæ rabiem; dum immunis ab irâ
Neptuni, tuto deſpectat fervida Ponti
Prælia, cum ſaxis et concurrentia ſaxa,
In ſiccam validi quum ſubduxere chamulci.
Aſt ubi mane novum redivivi protulit anni *Diductio ſive verna navigatio.*
Vergilias, & verna pares dans lucibus umbras
Æquato librata dies examine miſit
Pleiadas; in marmor deducunt helcia puppes,
Machinaque inſudat; fluctuſque invita reviſit
Non ignara mali navis. Mox litto ris oras
Curſu aperit, terramque legit, vitatque profundi
Vaſta; velut teneris infans jam cereus annis
Vix teneros figit greſſus, & cernere gaudet
Nutricem, ſi forte labat, fulcire paratam:
Sic remex rudis hoſpes aquæ reſpectat alumnam
Tellurem, trepidans nec ſe declinat ab illâ,
Perfugiumque videns inſueta pericula tentat.
Fornicis Ætherei eſt punctus qui terminat axem *Poli arctici obſervatio.*
Arctoum, hunc ſtellis ſeptenis picta figurat
Vrſa, Helice Graijs, Tyrijs Cynoſura vocatur:
Cauda polum ſignat, gyroque haud mobilis ullo eſt,
Cætera dant ſiccos cyclos, tardantque Triones

Contractos

Contractos motus, occulto & tramite pergunt;
Ipsa immota manet, rapto vertigine cælo,
Inde parallelis graduum decircinat orbem
Terrarum, tractusque locosque & pondera centri
A nivibus medios ad Zonarum usque calores.
Hanc docuere ratem spectare, & tollere in altum
Aut premere, incerto visi pro cardine mundi
Phænices gens docta maris, gens æmula Cretæ.
Ingenio ars variata suo conamina lambit
Prima, superfætans semper nova parturit, omnem
Enixa haud unquam prolem. Contentus Erythra
Crate ratis textæ; corioque Britannia suto
Varia navigiorum genera. Depressum Oceani littusque algamque legebat;
Doctior, & cymbis Phæniciа tutior ibat;
Castra Cyrenenses struxerunt pinea lembi;
Celoces dedit hinc Rhodus ingeniosa volucres;
Illyriique scaphas remulci fræna sequentes
Instruxere leves, miseri solamina casus,
Prompta ministerij nautis jumenta, carinis
Cunctorum socias, non æquâ sorte, malorum.
Argus sive primæ longæ navis fabricatio. Sic adolevit opus. Nondum mortalibus aurum
Palluerat docta fraude insidiisque petitum;
Divitias vernas tenuere, & patria gaza
Explevit votum: sed postquam Græcia famam
Velleris accepit Phryxæi, operosa cupido
Ingenium accendit fabricandæ nobilis Argus.
Ad molem hæc crescit montis, subtemine curvo
Excelsas cingunt costas tabulata, carinæ
Perpetuæ adductum vires lentantur in arcum;
Tessellatque foros transenna ex assere secto;
Pergula lata patet, quà puppis ducit ad ædes
Turritas, thalami & picta acroteria lauti:

Pressior

Preſſior inde ratis pluteos promuſcide munit
Prora, occurſantes roſtro quæ diſſecet undas.
Immani qualis ſuſpenſo & corpore riſtis
Remigat, & liquidi proſcindens jugera fundi
Iam roſtro diſpeſcit aquas: ſic proa liquentes
Ære ruit montes, ſic canent æquora ulcis.
Quà tabulæ jungunt latera, & compagine hiulcant,
Commiſſura levi ſtuppâ ferruminat atus
Infercitque comâ muſci, dein veſtit miſtu
Hos piceo, liquidoque abdomine membra ſaginat.
Inde abies cadit enodis, quæ corticeglabra
Infigit modio calcem; carcheſia ſurſim
Erigit, & trunco non frondibus efficit umbram;
Induitur capiti galeam, laterique patentem
Commodat antennam, lino non fronde, decoram.
Pons gradibus ſcandit malos, quò navita noctis
Iactatus tenebris, poſt ultima vota ſuperſtes
Effatoſque deos, ad primi lumina ſolis
Conſcendit miſer, ambiguo fractuſque timore,
Proſpectans longè terras, requiemque cupitam,
Triſtitiam hinc ſociis fert aut ſolatia feſſis.
Cernere erat rectos ad ſydera ſurgere malos:
Credideris ſylvam antiquam jam ſtare profundo,
Qualem vis Boreæ, aut canus decorticat annus
Quum nivibus polus & quum pontus inhorruit undis.
Montibus interea decurrere Oreades annus
Incipiunt, Nemorum Dryades, Faunique bicornes;
Qui lacrymis augent maria, & ſic triſte queruntur.
Quo miſeræ fugitis ſylvæ? quæ inſania vexat
In barathrum undarum & miſeræ confinia mortis:
Ergòne Nereides noſtros nunc fallere amores,
Pellicere & pulchras potuere ex aere quercus?

Oreadum & Dryadum querela.

Satne fuit quondam nutasse furentibus auris,
Et rabiem sensisse Notorum numine nostro
Incolumes? qui debere & ludibria ventis
Possitis, nimiumque leves, nimiumque feroces?
Dulce fuit procul a terrâ spectare furentem
Neptunum; altriste est rabidas sentire procellas,
Sævitiemque maris: meministis dulcia quondam
Gaudia, Sylviolam Pastores Pana canentes,
Lanigerosque greges vestris recubare sub umbris,
Et frondes lustare jubar, sudo æthere, vestras;
Nunc fera Neptuni terrebunt sceptra vocantis
Irarum Æolio ad fervida prælia fratres,
Et Siculi virgo populatrix dira Pelori
Latratu succincta canum, solatia Phocæ
Nulla dabunt, monstris non hæc debenda marinis;
Nunc ferus hyberni mundi fragor obruet, omnia.
Claustra Iovis solvens, cum cælum inclinat Orion.
His animosa refert lucri & spe concita navis:
Iam patrias fugio sedes, me gloria tangit
Non inventa domi; parva est insania sævi,
Sæpius expertam, tentare pericula venti;
Si peream, periisse juvabit forte, nec una
Est optanda quies; juvat indulgere labori:
Quod si tristis hyems cœco deprendere ponto
Errantem possit, nimbisque urgere sonoris;
Postera tranquillo extollet caput æthere lampas
Auricomi Solis, placido radiare sereno
Incipient vitrei tranquilla silentia campi;
Marmora Mæandris distinguam, oblita malorum,
Merce gravis tutâ portus statione recumbam;
Et nova tum lacrymas hilarabunt gaudia vestras.
Iamque stetit cristata ratis, clavumque prehendens

Ansa

Anſa corymbiferam convertit ad æquora proram:
Inſtruitur mundo; numeroſo fune laborat;
Armamenta aptat malis, mox pendula apluſtra
Explicat, intenſique gemunt ſtridore rudentes.
Vtque nitet nurus e thalamis egreſſa, comarum
Cincta caput cirris, mundique inſtructa nitore
Multiplicis, Crocalenque Hyalenq; Rhaninq; fatigat,
Et Pſecada, & Phialen; operoſi eſt plena laboris,
Vna manus laſſat cunctarum; turba miniſtra
Sic ſatagens ſudat, Dominæ dum fervida comptos
Molitur faſtus, atque artus dædala fingit:
Sollicito ingenio fervet ſic fabrica navis,
Parſque rudes tondet remos, pars dedolat alnus,
Ligna cavant alii, dolabris cataſtromata tergunt,
Pars clavos figunt, ſtuppæ farcimine coſtas
Condenſant, camerantque foros, chalybæaq; nectunt
Vincula, ferratis jungentes robora nodis.
Nulla quies operi, mirantur ſurgere molem,
Solanturque graves ſpectacula tanta labores.
Ipſe gubernator jam immiſſas tentat habenas,
Obſequiumque probat navis: ſic ventilat haſtam
Veles, & optatam præſentat imagine pugnam.
Iam piceam induerat veſtem, furviſque tenebris
Cœruleas umbrârat aquas: quum convocat omnes
Ad tranſtra, ærato præcentans ore celeuſtes.
Oſcinis obſervat, dein præpetis omina pennæ,
Auſpiciumque capit dextrum, converſus ad arcton
Æſonides, ſacroque magis quo perlitet omni,
Et Venerem & Ventos placat, mundique liquentis
Hæredem. Tutela Deos tenet aurea pictos.
Et Simæ pictum legit *Argo nobilis* aurum.
Denuo ferventem inſtaurant in puppe laborem;

Labor Nauticus.

Diſcurſant, tractant funes, ſpiraſque reſolvunt,
Et meſona utarum per pontes emicat omnis
Turba, cadit linum; antennas dant lignea rectas
Mala, pedes figunt, ſuſpenditur anchora vulſis
Dentibus; & plenis ſe pandens cornibus altus
Artemon ſummo fluitantia carbaſa malo
Explicat; Acation ſinuoſi turbinis aurâ
Intumet, & toto cælorum flamine prægnat;
Proram inflatque Dolon, propellit Epidroma puppis;
Orthriaceſque ſinus augent, carcheſia ſtridunt;
Signa animat notus idolis volitantia pictis.
Sic fugiens juſſas contendit anhela per oras.
Quo tantæ rerum moles? quid fervidus ardor
Tempeſtatis deſcriptio. Sollicitat cunctos? diri ſi turgida buccas
Ira Noti inflârit; velut arbor fulguris ictu
Saucia, conſternata tremit, concuſſa vacillat
Puppis; ubi nubes glomerans pluvialibus auſtris
Eripuit cælum tempeſtas, æthera & altum
Fluctibus impellens, tenebris prætexuit orbem;
Fermentanſq; ſalum, cœlum undiq; & undiq, pontum;
Horrenda pinxit præſentis imagine mortis.
Agmina tum denſant infeſta in prælia fratres
Æolij, ſcopuli latrant, regemitque profundum.
Flammivomis æther accendit marmora nimbis,
Reſtinguuntque poli flammas ſpumantibus undis
Æquora; vexillis cernunt ferrugine tinctis.
Tunc nutat jactata ratis; ſinuantis ab undæ
Surgit in aſtra ſago, furvoque remittitur orco;
Montibus undarum aggeſtis nunc æthera tentat,
Fulmine Cimmerias nunc icta recurrit ad umbras;
Statque illiſa vadis & cæcis rupibus; omnis
Coſta dehiſcentes extendit flumine ripas.

Ah

Ah, qualis titubat denſantibus obruta nimbis,
Heu triſtes experta vices, nec qualis ab actâ
Solvens, mæandros conſtrato in littore pinxit,
Populus irriguæ ceu conſita margine ripæ,
Luxurians umbrâ geniali & fronde juventæ
Arridens bicolore, viret pulcherrima ſylvæ
Filia, & invidioſa ſuos oſtentat honores;
Aſt ubi nubifragi diſrumpunt vincula nimbi,
Incumbunt validè adnixi, lacerantque lacertos,
Excutiuntque comas; illa at radice revulſa
Sternitur, & præda eſt fluvii torrentibus undis
Vicini, ruptis vexatur per vada ramis,
Dividit hos ripis, æſtuque ad littora truncus
Projicitur, legiturque focis & præda caminis:
Dædala ſic nuper, multoque toreumate celſi
Pegmatis, & lini picto decorata tapete
Navis abit peſſum; oceano nat lauta ſupellex,
Cæruleumque bibunt jam lintea candida limum;
Quodque virinequeunt, terræ tabulata repoſcunt
Auxilium, & picti fugiunt ad littora Divi.
Audacis nautæ ſolvuntur frigore membra
Horrifico tremefacta metu. Sentina laborans
Nauſeat, & pontieructat vix virus amarum,
Dum tumet ægra ratis fluviorum intercute damno.
Tantane vos tenuit ſitis inſatiabilis auri,
Oceani ut vis nulla queat reſtinguere: nautæ
Quin fugite has diras mercees, eſcamque malorum,
Quas vigiles ſervant ſquamæ, queis excubat horror
Taurorum; haud tanti Phryxææ vellera lanæ:
Merſerat hæc Hellen, ſceleris quod diſplicet omen.
Ite veladverſas contra maris ite procellas;
Vt vada Neptuni temerata & naufraga claſſis,

Indignantem animam errorum per ſæcula mittat.
Vilius hoc poterat Proſerpina vertice crines
Demere, & in ſolidâ extinctos componere terrâ.
Ampla quidem ſpolia hæc auri, quæ dira ſequetur
Turba comes, perjurus amor, cædeſque nefandæ,
Prodita gens, falſique dei, luſique parentes,
Et violata fides, & tota venefica Colchos.

Pugna navalis a Minoe commiſſa.

Seminium Heroum dederat jam nobilis Argo,
Diviſumque orbem replêrat gloria cunctis
Æmula, & anguſtum conqueſta eſt pugna theatrum.
Terrarum, hanc ponti Minos deducit in undas,
Mavortemque docet liquidis decernere campis.
Navita fit miles, veliſque occurrere vela
Audent, adverſos remi & detergere remos.
Erubuit Nereus alieno ſanguine, & iras
Biſtonio æquoreas gaudet conferre furori.
Hinc atque inde ratis ſtat pronis cornibus, harpax
Ferratis manibus, roſtratoque arietat ære.
Claſſica dira ſonant progreſſum remige & aurâ
Ferventem; excutiunt roſtrorum vulnera flammas,
Incandetque chalybs, trepidatque per æquora pugna,
Et redit & fugit ad reboantia verbera navis;
Fulmineos geminant ictus; micat omnis in arma
Arma phalanx pinnata; viro vir, ſignaque ſignis
Denſantur, telis & tela, atque enſibus enſes:
Fit ſtrages, cædèſque; fluit ſentina cruore,
Immiti plagas triſtatque uligine fluctus.
Incumbit vis dira mali: quà fugeris iras
Inſani maris, inſani furiaſque duellis?
Non plures cæpit manes Acherontia cymba,
Quam quos centeni luſtrant erroribus anni.
Scilicet adverſis Catapultæ machina vallis

Miſſa

Missa, velut gravidæ balearia pondera fundæ,
Præcipites totas poterat dare in Æquora classes,
Calfacere & gelidas animis spirantibus undas.
Prisca quidem nostros docuissent sæcula fastos
Naufragii horrendas strages, & monstra nefandæ
Cladis, tot manes circum Salamina natantes,
Addidit infernis quos Dux tunc Naumachus umbris;
Tergemini martis Pænorum Aquilæque natantis
Prælia; sed perimit majorum damna, minorum
Multiplicis leti ingenium & cum fænore funus.
Extorsere Iovi telum gens ferrea, diras
Iure dedisse rati nullum Salmonea pænas;
Sera & sacra dies sæclorum, fulmine dextram
Militis armavit, navesque & castra trisulco.
Ære cavo accensum prorumpit in æthera nitrum
Ponderaque impellit glomerati fervida plumbi,
Immensas quatiens moles & funera densans,
Qualia nulla atris numerârunt sæcla diebus.
Credideris mugire polum, tonitruque tremendo
Infremere, emissisque tremiscere nubila flammis.
Fama refert Monachum minuentẽ ad pharmaca nitrũ;
Fortuito subitas vidisse ardescere iras,
Inque leves tenuari auras, atque impete fixum
Excussisse caput vasis, ceu turbine raptum;
Ad fraudem humani generis solertia diri
Exarsit monachi. chalybæi carceris antro
Semina dat flammæ; dein scloppos armat in iras:
Inde colubrini pyrio stat pulvere moles
Ærata, & totas debellatura catervas.
Proh Pandora orbi misera es Germania, tetri
Commenti mater, monstrumque enixa nefandum,
Debuerat cæcis quod delituisse tenebris,

Tormentorum & pulveris Pyrii inventio.

Nec-

Nec vidiſſe diem labyrinthi carcere clauſum.
Nulla animi virtus magni, nec gloria dextræ
Strenua letiferos effugit pulveris ictus:
Fit via vi, rumpit cuneos & præpete fato
Martigenas truncat numeroſâ morte phalangas:
Membra volant, cædunt ſocios, gliſcitque tumultus,
Inſtaurantque novam morientum vulnera mortem.
Ingenioſa tuo fueras Germania damno,
Quæ juſtam experta es Nemeſin, pænaſque Perilli,
Auſtriaci es quoties martis conqueſta furores.
Sed fruſtra querimur numeri diſpendia; plangit
Heroem mundus de tot modo millibus unum,
Ante alios pietate virum atque illuſtribus armis.
Vandalicâ hic hyeme & boreali frigore cinctus
Fervida Pannonicis incendia ſubdidit oris:
Qui venit, vidit, vicitque; audacia conſtans
Omnia promiſit, fortuna & dextra peregit:
Cui verita eſt flavos Proſerpina tollere crines,
Parcere cui Parcæ voluere, ſed improba belli
Machina (vah) tantos tædavit morte triumphos,
Demolita Ducis res triſti funere geſtas.
Felix Pellæus juvenis, cui gloria crevit
Expugnatæ Aſiæ, demeſſique enſibus orbis,
Ante cohors caderet quam ſaucia fulmine bombi.
Æneæ funda tuos poterat minuiſſe labores
Alcide, diræ odiis mage dira novercæ.
Quot dederit morti pugiles, Oſtenda laborat
Dicere; quot claſſes falcatæ prælia Lunæ
Cum Cruce perdiderint, rauci ſuſpirio ab æris
Dicite, quos vix dum tranſmiſit cymba Charontis:
Fulmina crediderim non tot mucrone triſulco
Excuſſiſſe Oſſam Pindo, dein Pelion oſſæ

Quanta

Quanta dedit plumbi numeroſa tonitrua grando,
Quando Lepantinis fervebant æquora pugnis.
Seſqui & *mille* ſupra jam *ſexageſima meſſis*
Vndenum addiderat Chriſti natalibus *annum.*
Horrida *Falcatæ* vaſtabant prælia *Lunæ*
Vicinorum oras, ferroque ignique ruebat
Imperium *Crucis*, inque foro venalia ſtabant
Agmina chriſticolûm duro damnata labori.
Tunc (miſerum!) Europæ bella inteſtina movebant
Principibus rabiem; interea ſed Turcica claſſis
Vim parat, & ſtruit ingenioſam ad tempora fraudem.
Molitur claſſem numeroſam, qualis & olim
Velificavit Athon conſternens æquora ponte;
Quando tridentifero audebat fera vincula regi
Iniicere inſanus felici ſorte Tyrannus.
Solvit Iülipedum examen, cirriſque profundum
Verrunt, & tumidos planant ſub pondere fluctus.
Credideris Delon nare, aut ſylveſcere pontum:
Turca trahit tantas horrenda in prælia claſſes.
Fama per Europæ currit velociter oras,
Ingeminatque metus, urbes pernicibus alis
Pervolat, & quacunque venit, fit ſtridula linguis
Innumeris, patulas replens ſermonibus aures.
Mahumetem conjuratas ad prælia turmas
Ducere, carnivorâ inſtructas harpagine, multâ
Falce, & ferratis ad verbera dira flagellis.
Narrat uti, nocte intempeſtâ, viſa per urbes
Ire hominum ſimulachra, deique excedere templis;
Vtque tubæ auditus per lurida nubila clangor;
Armataſque acies Cœlo concurrere viſas
Fingit & Auſtralem ad Plauſtrum contendere Navem.
Horror habet cunctos, ſtupet inſcia turba, malorum

Prelium Actiacum ſive Lepantiaum.

Docta satis non ferre minas; Primatibus ardent
Pectora, & audaces animæ se ad prælia cingunt.
Qualis ubi approperat prono de monte leæna
Plena famis, prædæque avida, & jam faucibus ægra,
Infirmum pecus omne tremit, pugnæque fugæque
Impar, & immanem meditatur ab hoste ruinam;
Consilii at certi pastores fortibus hostem
Defendunt telis, coguntque recedere tristem.
Principibus pax una placet, commune periclum
Discordes unit, cauti socia agmina jungunt.
Ante alios Tuque ô Divûm pulcherrima Elisa
Iunxisti Venetis classem, Tu templa piorum
Suppliciis jûsti fervere, & numine vultus
Armatis potuisti animos augere catervis,
Inter Amazonias tum digna præire cohortes.
Tuque etiam Hadriacis quæ stas pulcherrima in undis
Vrbs Veneta, insanas fregisti viribus iras
Impii & horrendi Martis, Tu digna trophæis;
Maxima pars fueras belli, & non ultima laudis.
Mars galeam parat, Europæ exhaurit & oras
Præcipitans in transtra viros, mox fervere portus
Incipiunt, pontum admotis & classibus arctant.
Remigat omne nemus, remis jam deficit æquor,
Expansa & totos consumunt lintea ventos,
Velorum latâ nautis obnoctuit umbrâ.
Est locus Oceano quà Albania dura Lepanton
Terminat, insignem jam denuo clade futuram,
Actiacam post, victrici Iovis alite, stragem.
Huc postquam Ventorum auræ Mavortis & ardor
Vexarunt classes; liquido decernere campo
Incipiunt, fumantque odiis & tristibus iris:
Fulmina tum ingeminat vasto colubrinus ab antro,

Præmit.

Præmittitquē necem bombus, ſtragemque virorum.
Qualis & ex Ætnæ tenebroſo carcere, flammæ
Fumifica exhalat glomeranti turbine nubes
Saxa trahens ſecum, exeſi montiſque ruinas,
Obruere & terras circumvaſtare jacentes,
Fundere ſæpe ſolet vicinas ſedibus urbes:
Talia nitrivomo flammæ glomerantur ab ære
Vellera; mugitu, ac latè loca nubibus implent
Eiiciunt diri & letalia tela metalli,
Quæ totas ſternunt claſſes, truncantque cohortes,
Exanimique fugâ nigri Iovis ad Styga mittunt.
Omne ferit telum, nulli ſine cædibus ictus;
Signa cadunt, laceræque *Cruces*, *Lunaque* laborant.
Fit ſonus immaniſque æris, clamorque virorum,
Remorum pulſuſque ſtrepit, ſtriduntque fragores,
Omnia miſcentur; volitanti inſibilat aer
Plumbo: Parrhaſiâ grando non crebrior Arcto
Exilit, Oleniove ruunt de vellere nimbi.
Excluſere globi Solem, ſtant plumbea cœlo
Nubila, decernunt ſubter teſtudine plumbi.
Pulcher adhuc belli vultus: ſtant milite naves,
Ordinibuſque fori denſantur, ſanguine raro
Livent arma, nitent galeæ, ſcloppique, phaſelis
Nec fuerat ſanie, & deforme cruoribus aurum.
Vtraque ſtat diverſa acies; hæc vincat an illa,
Ignorat fortuna loci, quæ incerta recedit
Spectatum, ut certum comitetur amica triumphum.
Lunigeros poſtquam ſummo Pater altus olympo
Inceſtare *Crucem* vidit, nimiumque feroces,
Irâ incandeſcit, torvo & ſic inchoat ore.
Vidimus *Hagaridûm* quò fas erat uſque furores
Cœlicolæ; domini rerum, Terræque Mariſque

Esse volunt; Cœlum tentant, & Phlegra Tonantis.
Denuo conscendit sedem, jus omne sub astris
Eripuere mihi, nec me mea sceptra tuentur:
Templa deûm demoliti; feritate meorum
Depastique greges, nostro procumbere telo
Commeruêre, Deûm & nunc persentiscere dextras.
Dixit, & é Siculæ fremibundis rupibus Ætnæ
Emisit conjuratos in prælia fratres.
Illi hyemes tonitrusque vocant, é nubibus ignes
Deducunt, jussique ruunt in turbinis iras,
Christicolûmq; aciem comitantur, & hostibus umbras
Iniiciunt; stat cincta acies formidine noctis
Pulvereæ, eripiturque dies caligine cæcâ.
Error agit classem, nec quos fugiatve petatve
Invenit, occurritque malis ignara malorum.
Ac velut Ixion deceptus imagine falsâ
Complexus nubem miseros elusit amores;
Sulphureas Turcæ perdunt in nubila glandes,
Consumunt sine lege iras, experteque nocendi,
Vulcani mediis restinguunt fulmina in undis
(Sic quondam Phariæ nox abdita presserat oras,
Goshanæque diem lux clara retexerat almum)
Instant hi telis, inimicant classica turmas
Lunigeris turmis; timidum scelus aufugit amens,
Et premit Europæa phalanx; jamque omnia classis
Ferventis tormenta tonant, & plumbea nimbis
Certat hyems, glandisque volat jam ferrea grando:
Nec locus in pelago telis, in corpora naveque
Omne cadit plumbum; regemunt tabulata carinis
Vulsa, ruunt icti infesto jam fulgure mali;
Iactatæque rates tenebris, & vulnere fossæ
Sicut erant alto vivæ sedere profundo.

Hagaridis

Hagaridis mediæ incipiunt decreſcere turmæ
Perque umbras naveſque apparet clarius æquor
Quanta rates fundit ſtrages, & vulnera triſtes
Quanta viros lacerant! credas non ocyus iram
In terras cecidiſſe Iovis; quando improba cælum
Phlegra Gigantæis auſa eſt temerare maniplis.
Momentum his menſura ævi, manus omnis in armis
Omnis & in ſcloppo, prohibentque obſtantq; ruuntq;
Cernere erat ponti rubicunda per æquora nantes
Semineces artus, voceſque a morte recentes
Audire, & ſingultantes ſubter mare manes.
Turcarum ſtridunt animæ, naveſque ſequuntur.
Fortius incurſant noſtri. Ducebat opacus
Lunares jam veſper equos; nec cernere Phœbus
Vltra ſuſtinuit cladem, immaneſque cruores;
Abdidit oceano caput; exanimeſque jugales
Sanguineis tinxiſſe vadis, non creditur undis.
Nox dirimit, *Lunæque* fugam dant nubila tutam.
Nec tantum validas ars navi in prælia vires,
Ingenium ſed ſæpe dedit. Mirabilis annus
Virginis Aſtrææ ſpicas in ſpicula Martis
Verterat; horrebat conſtratum navibus æquor
Vallatis, tormentorum diro ære coruſcis.
Vndique colluçet bellorum nuncius ignis,
Tympanaque ingeminant & Mars accenditur ære.
Arma manuſque virum fervent: juveneſcere ſaxi
Attritu, exeſum cogunt ferrugine ferrum.
Navibus horreſcunt fluctus, & littora turmis:
Addidit ars vires & magni nobile Draci
Ingenium. Tacitæ per tuta ſilentia noctis
Iam neque temo piger, nec Lunæ ſidus amicum
Monſtrabant per opaca vias; quum corbita diram

Parturiens ſtragem, nunquam reditura reliquit
Littus, glande inſtructa, rudi & ſine fine metallo
Sulphureiſque globis & fartâ pulvere ſtuppâ;
Lenta quibus vigilum cremiorum incendia nectit
Conſultaſque moras flammæ, ſic remige cauto
Legatur ventis Hiſpana ad caſtra ſecundis.
Iamque aderat, miſerum circumſtat tota Sinonem
Claſſis, & illudens occulti haud provida damni eſt;
Cum ſubito infeſtas hinc inde exardet in iras,
Viſceraque eructat vi torminis ægra, ſaburræ
Prodiga, vix refugos totam ejaculatur in hoſtes;
Panicus exoritur terror, ſubitoque tumultu
Sternuntur, fuſuſque ruit cum remige miles.
Pinguia tum ingeminans ſuperat Vulcanus apluſtra,
Depaſtuſque rates tunicâ flagrare moleſtâ
Cogit, & ardentes animas extinguere in undis.
Obiice pervigiles quantumvis Ætias ignes;
His mage terribilem Dracus dedit igne draconem
Ingenium ſapiens Tyrium: cui venit olympus
Optio, & ætheriæ jurâre in fœdera vires.
Vidimus armatoſque deos, ventoſque volones
Accinctaſque acies nimborum ad claſſica Eliſæ
Currere, & a Terrâ Cælum tum ſtare Britannâ.
Parce precor mea Muſa ratem objectare periclis,
Tantorum belli tandem ſatiare malorum,
Et peregrinantem a ſcopulis defendito navem.
Tu mea ſed puppis faciles per cærula greſſus
Expedies, ſi tuta leges veſtigia quondam
Semideo deſcripta, novam quum indagine terram
Detegeret Navis, Cœli ſtatione relictâ;
Diſceret & radio metas deſcribere Mundi
Immenſumque polum parili contexere ponto;

Mox

Mox horis variare dies; Cælique calorēs
Frigoraque in quinas cyclis distinguere zonas;
Inde parallelis altum dispescere Solem;
Sectorem & multo partiri vertice cyclum.
Viseret antæcos, periœcos quum, antipodasque,
Qui glomerant umbras, & quēis latus altera claudit
Vmbra; quibus nullam nisi corpora cernua reddunt.
Iam felix errore suo est, commercia fecit
Gentibus; & populis quos dissociaverat orbis
Dat cōmune forum. Terrarum haud ultima Thule est.
Nostra quidem errores didicissent sæcula priscos:
Nulla per humanos mansuescere frigora cultos
Arctoæ adversæque plagæ, quà Phœbus eodem
Dividit axe diem, Cœlumque & syderis annum;
Quosque locos torrens æquatæ linea noctis
Flammanti è Cœli cono geminans jubar, aureâ
Protelat totos radiorum grandine campos.
Si non sera dies, atque ævi posthuma proles
Crevisset mundi primis maturior annis,
Erudiens orbem, ignoti & penetralia vasti
Rumpens, naturæ potuisset sacra sub auras,
Et sudum raptare diem, tenebrisque latentes
Mirari species, uno nec nomine terras.
Nam pater ut quondam piceæ de carcere molis
Exploratricem legavit Noha columbam,
Quæ faciem terræ lustraret, læta referret
Gaudia, vindiciis reduces, justoque receptos
Iam post liminio grassanti a flumine colles;
Si quà usquam inventæ parerent littora terræ:
Sic pater omnipotens (ut in orbe frequentior orbis
Fas & jus colerent, rituque oblita profani
Impia adoraret divinum ut America nomen)

Magna-

Magnanimum Heſperiis Columbum ſolvere ab oris
Iuſſit, & intonuit tranquillâ lævus ab æthrâ.
Hic paret, liquidaſque vias arat impiger, omnes
Exquirenſque oculo ac radio proſpectat in oras.
Expendit dubios nunc acri examine tractus
Cœlorum ad curſum refluos, nunc olfacit auras,
Et vocat ad navem ventos; indagine plumbi
Nunc dubias explorat aquas; nunc nubila ſpectat:
Speſque novæ tantos terræ juvat una labores.
Sed quæ cauſa fuit ſocios formidine captos
Deſpondere animos, diraſque movere querelas,
Duceret ut reducem claſſem, chaos eſſe profundum,
Conſumptumque ratos orbem: non ſcilicet omni
Sufficit infractas in tanta pericula vires
Dux ſortis fortuna ſuæ, is certus eundi
Speque fideque moras nectit; ſic omnibus unus
Perſuadens, ſecumque trahens, conatibus omen
Conſpexit felix fauſtumque: argentea nubes
Terrigena, & quali non turbida Tethys anhelat,
Clarior exoriens, tractu nidentior albo,
Prodidit ignotam ſpirare ſub æthere matrem;
Cujus ut optatam terigit Columbus arenam
Egreditur Mundi civis, potiturque repertâ.
Dicite Chamigenæ quanta hæc ſpectacula veſtris
Affulſere oris: an ſaxa meantia pinnis,
An pinnata rati pennis contendere cete,
An nova jam primùm monſtra apparere profundo,
Dicite; vana fides non eſt, vos numina olympi
Et cæleſte ratos appellere fulmen ad oras,
Aſpectu ſtupuiſſe novo, & timuiſſe deorum
Occurſare armis. Tu felix hoſpite tanto
India, crudeles niſi mox ſenſura rapinas

Heſperiæ. O monſtrum impietatis, cædibus orbem
Demetere, & bipedes canibus conſumere turmas!
Proh ſcelus horrendum, infandum, tot millia ſponte
Occubuiſſe *Crucis Chriſtiquæ* tyrannida queſtos,
Exoſoſque Deum, indigetum ſedeſque beatas,
Hiſpani ut fugerent conſortia dira cruenti!
O mites Diomedis equos, iraſque Procruſtis
Læſtrigonum dentes, & quicquid fabula narrat!
Columbe at poteras ignotam exquirere terram,
Inventamque aperire orbi, & non perdere ferro:
Palladis armatus licet haſtâ & viribus, almam
Laude reportaſti cum verâ pacis olivam.
Te vero Magnes noſtri ſuprema laboris
Materies, quæ vincis opus, te exquirere nullo
Noſtra poteſt errore ratis, te nulla molorthi
Indago explorat; ſolerti abſtruſior arte es.
Tu Mundi ditare polis; quem dividit, umbris
Linea quæ æquales ſolita eſt conjungere luces.
Ferri animam tu ſolus habes; te diligit unum,
Te ſequitur velut umbra, tuis amplexibus hæret:
Tu ferrum redamas, atque oſcula dulcia figis;
Prodigus ipſe tui, das huic (nec egentior ipſe)
Virtutem vireſque tuas atque artis honorem;
Quâ poterit monſtrare polum, & deſcribere mundi
Diviſas hinc inde plagas; quum pyxide clauſum,
Inſtabile immoto trepidavit cardine, donec
Optatam quæſitamque diu requieſcat ad arcton:
Compoſitus magneti adamas, rutiluſque pyropus,
Et conchæ ac Junæ proles, tota India ſordet;
Tenuia quo duri vivunt ramenta metalli,
Centauros, tantaſque regunt per cærula moles. *Magnes.*

Quum vero immensis excurrant flumina campis,
Lumina nec possint cælo secernere pontum,
Post longas & mille vias, incerta locorum;
Tanta aciem superant terræ intervalla marisque:
Gens humana novum tenui sub imagine mundum
Ingentis finxere typo, qui limite vastum
Clauderet angusto, sinuosæque Amphitrites
Brachia littoreos circumplangentia tractus:
Metitur totum alterno pede circinus orbem:
Sive premas tollasve polum, intervalla patentis
In latum numerat mundi, emensumque profundum;
Sive regit cursum libratæ linea noctis,
Sedibus a Fortunatis te ducit ad ortus.
Sed jam fessa ratis furtivæ consule arenæ
Mutatas tam sæpe vices, vitreique recense
Horologi indicium, patriæ tum dulcis arenæ
Tanget amor; nondum placidi te graudia portus
Grata vocant? Dracum sequeris? qui mœnia primus
Sulcavit mundi, navem contendere Solis
Curribus & docuit; Polluce & Castore major,
Pygmæosque lares, subterque jacentia signa
Vidit, & in patriam rediit velut annus in orbem.
Siste precor jactata satis, votique recede
Compos. Non procul hinc statio est secura carinis;
Hæc requiem dabit, Angligenis celeberrima in oris.
Cernis ut in medium tollat se Cynthia cælum,
Lunaresque trahant æstus ad littora bigæ:
Maturato; jubent auræ: portumque saluta.
Oceanus refugis actam ne deserat undis.
Iamque redux navis patriis dum allaberis oris,
Nonne vides quantæ excipiant te hinc indeq; classes

Turrigeræ

Turrigeræ, bombardarum ſtridore tonantes,
Inſigneſque cruce, & minio: ſunt mœnia Terræ
Illius, Oceano quæ clauſa exurgit aperto:
Cæſaris hæc noſtri ſunt fulmina dira Britanni,
Sola Gigantæas debellatura catervas.
Cæſar ave, cura Aſtrææ, Themidiſque, deorum
Deliciæ, patriæque Pater, Iunonis amores,
Menſura humani Genii, votique parentis
Gens non ulla ratis quæſita errore, beata
Hâc magis eſt noſtrâ; quando te Eccleſia patrem
Et populus ſalvere jubet, qui gloria ſæcli es.
Auſpiciis Rex Magne tuis Saturnia ſurgunt
Regna, deos Cœlo reduces ſperamus in orbem
Terrarum. Tu marmoreis innixa columnis
Ædificas ſacra templa Deûm; reparaſque labantes
Cœlicolûm ſedes; jamq; una Britannia Cælo
Præbeat hoſpitium. Noſtras pax incolit oras
Aurea, dum tutis indulgent Numina ſacris,
Excubat Oceano Mavors, & tela caminis
Æoliis ſudata quatit; circumfluus undas
Nereus objectat, ſcopulorum & naufraga ſaxa.
Sub te uno pacis, ſub te pietatis aſylum
Panditur, O fidei fulmen: tua pignora florent,
Lilia ceu commiſta Roſis; quæ invicta Leonis
Magnanimi ſervat virtus; quem carmine mulcet
Barbitos, horrendas ne quando exurgat in iras.
Cæſar ave pulchros inter pulcherrime divos;
Cæſar ave fortes inter fortiſſime turmas:
Centum & ſex proavi taceant, Genitorque beatis
Aligerûm adſcitus turmis: jam gloria pangit
Te tua. Terrarum noſtro nil Cæſare majus

Nil melius tenet orbis: jo invictissime Cæsar
Vive; beatorum serus Te confer ad aulam
Majorum: hic multos ducas, lætosque Triumphos.

FINIS.